



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

58. Exponi nobis nuper &c. Concessio Facultatis Magistro Generali Ordinis  
Prædicatorum Antonino Cloche, substituendi, quoad vixerit tantum,  
Vicarios Provinciales Missionariorum ejusdem Ordinis pro ...
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)



ac de Omnipotentis Dei misericordiam, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus autoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christianidelibus, verè penitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Conventuum, Monasteriorum, & Domorum Regularium tam Fratrum, quam Monialium Ordinis prædicti hæcenus erectis, & in posterum quomodocumque erigendis, & ubicumque Locorum existentibus, die quinta Maii Festo ejusdem Sancti Pii à primis Vesperis usque ad occasum Solis Festi hujusmodi annis singulis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordiam, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione piis ad Deum preces effuderint, quo die id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 13. Januarii MDCCXIII. Pontificatus Nostri Anno Decimo-tertio.

F. Oliverius.

LVIII.

## C O N C E S S I O

Facultatis Magistro Generali Ordinis Prædicatorum Antonino Cloche substituendi, quoad vixerit tantum, Vicarios Provinciales Missionariorum ejusdem Ordinis pro erectione Confraternitatum Sanctissimi Rosarii in Tunkini, ac Sinarum Regnis.

## C L E M E N S P A P A X I .

*Ad futuram rei memoriam.*

**E**Xponi nobis nuper fecit dilectus Filius Antoninus Cloche Magister Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod cum dilecti pariter Filii Religiosi Missionarii dicti Ordinis in Tunkini, ac Sinarum Regnis ob devotionem Christianidelium utriusque sexus erga Sanctissimum Rosarium ab eo facultatem erigendi, seu fundandi in illis Ecclesiis Confraternitates ejusdem Sanctissimi Rosarii petissent, ipse Antoninus Magister Generalis, qui vigore facultatis sibi à Sede Apostolica attributæ per se ipsum tantum Confraternitates hujusmodi erigere, ac instituire potest, quò facilius, & quam citius pio eorumdem Missionariorum desiderio, attentè immensam illarum Provinciarum distantiam satisfacere, valeat, facultatem delegandi ad præmissum effectum Vicarios Provinciales dictorum Missionariorum immediatos Superiores sibi à Nobis concedi plurimum desiderat; Nobis propterea idem Antoninus Magister Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur ipsum Antoninum Magistrum Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum series absolventes & absolutum fore

cententes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, eidem Antonino Magistro Generali, quoad ipse vixerit dumtaxat, potestatem substituendi facultatem in supradictis Regnis præfatos Vicarios Provinciales ad præmissorum effectum autoritate Apostolica tenore præsentium concedimus: Ita tamen, ut ab eo Substituti, seu Deputati alios substituere, vel subdelegare non possint, & quotannis eundem Antoninum Magistrum Generalem de Confraternitatibus erectis certiorum reddere teneantur, ac salva semper in præmissis autoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Decernentes easdem præfatas literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quocumque quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hæc vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xviii. Februarii MDCCXIII. Pontificatus Nostri Anno decimo-tertio.

F. Oliverius.

## C O N C E S S I O

LIX.

Facultatis Magistro Generali Ordinis Prædicatorum erigendi in Sinarum Regnis unam pro Viris, & alteram pro Mulieribus Confraternitatem Sanctissimi Rosarii in eodem Loco cum declaratione quod tam Viri, quam Mulieres ejusdem Sanctissimi Rosarii Indulgentiis in eorum respectivè Ecclesiis frui possint.

## C L E M E N S P A P A X I .

*Ad futuram rei memoriam.*

**E**Xponi nobis nuper fecit dilectus Filius Antoninus Cloche Magister Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum quod cum in Sinarum Regnis inviolabilis mos vigeat, quod Ecclesiæ Christianidelium, tam respectu situs, quam Mulierum, inter eas, & Viros distinguantur, ita ut nec Viri ad earundem Mulierum Ecclesias, nec prædictæ Mulieres ad illas Virorum accedere valeant, ipse Antoninus Magister Generalis, ne Mulieres hujusmodi à participatione Indulgentiarum Sanctissimi Rosarii cujus Confraternitates in Ecclesiis Virorum

erigi,